

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Heinrich Dringenberg

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hinricus Dringenberg/ Phil.  
Moral. Profess. ... Ad exequias, Quas Filiolae ... Catharinae Svanteniae  
Moestissimi Parentes paratum eunt, Omnium ordinum Cives Academicos serio  
studioseq[ue] invitat : [P.P. sub sigillo Rectoratus, die XXIII. Mart. Anno  
MDCLXV.]**

Rostochii: Kilius, [1665]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn776828037>

Druck    Freier  Zugang



Dringenberg, H.

in C. Suanten.

Rostock, (1665.)







PROGRAMMA  
Quo  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**HINRICUS Bringenberg/**

Phil. Moral. Profess. ac Facult. suæ  
hodiè DECANUS,  
Ad exequias,

Quas  
*FILIO LÆsus & citissima desideratissimaq;*

**CATHARINÆ  
SVANTENIAÆ  
Mœstissimi PARENTES**

paratum eunt,  
Omnium ordinum CIVES ACADEMICOS  
seriò studioseq; invitati.



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typor.

**N**on jam jocari amplius cum Morte, quod aleæ id  
plenum atque periculi sit, facileque trahi aliorum,  
quam abs nobis (Deus novit) institutum sit, possit;  
sed philosophari potius de eadem, occasione hodierni  
funeris, lubido est. Sanè moriendi istam legem perva-  
gari orbem terrarum, omnesque; omnino homines unam  
manere nocte, universorum temporum Pii & sapientes  
viri credidere semper, & quivis præterea dies clarissimis  
documentis isti rei mira facit fidem. Neque; verò homini  
tantum ista inevitabilis posita est conditio, sed etiam va-  
stum hoc UNIVERSI corpus, atque; adeo totam Naturam  
mortalitati subjectam esse, paullò attentiùs conside-  
ranti manifestissimum est. Sanè enim si quis prima  
illa corpora, ex quibus singula in mundo confiunt, in-  
tueatur, utique; ipsa illa, dum ex mutatione illorum nunc  
hoc perit, nunc aliud generatur, perpetuam vice aut  
nasci, aut mori deprehendet. Ipse Sol, qui principa-  
tum astrorum obtinet, promus condusque; diei, dum  
cotidiè conspectui sese nostro subducit, subque; horizon-  
tem condit, nonne interitum, quem decretorius ille  
dies semel afferet, jugiter minatur? Quem cetera  
quoque; sidera imitari videoas, quæ, renascente majori lu-  
ce, mortem quodammodo suam obire videntur.  
Non adducere jam porrò omnis generis animantia lu-  
bescit, quæ & ipsa magnam illam mortem exercere  
conspicias; neque; è superiorum ætatum historiis vel Car-  
thaginem aliquam, vel Hierosolymam, vel ambarum victori-  
cis Romæ cadaver; aut quicquid hujus apud veteres si-  
vebel-

vè bellis, sivè hiatibus, sivè paci noxiâ, & rebus secundis nimiùm quantum exitiosâ luxurie deperditum fuit, proponere decretum est; ex quibus profecto sat is ceteroqui de prehendere sit, nihil in hac rerum Universitate reperi, quod non caducitati obnoxium sit, eundemq; interitum experiatur, qui homines & urbes integras solo æquare, ac cum ipso sæpè nomine etiam memoriæ mortalium eximere sivevit. Earum jam saltem Urbium casus ac vices contemplari operæ fuerit, quibus vel per hæc nostræ tempestatis bella, post homines natos acerrima, aut REIP. facies immutata est, aut imminuta libertas; vel quas ipsas pessundatas omnino, eversasq; atq; abolitas adeò dolor! cernere liceat, utinunquam dein resurrexerint. *Quis credat* (Vel lejana est in non absimili casu exclamatio) *tantas Urbes tam creuisse, floruisse, cecidisse?* Alibi: *Admirabile prorsus est, Civitatum nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc penitus interire.* Aut si Urbes fors nondum fecerint satis, quantum regiones integræ, integræq; Provinciæ mutare soleant, aut de vigore suo remittere, eadem hæc tempestas nostra argumento esse sic satis luculento potest. *Qui ergò fit, quòd nos homunculi, cùm illum rerum omnium interitum, tot gentes inter mortuas, tot urbium oppidorumq; cadavera passim per orbem terrarum projecta videamus, unius è nostri numero, discessum tam ægrè feramus?* Cùm certum sit, doctiq; dudum ipsâ simus experientiâ, ab istâ communī moriendi conditione neminem aut ætatem, aut virtu-

virtutem suam, aut formæ venustatem, neminem etiam potentiam & honores ullâ posse ratione eximere. Hic nos aut multùm fallimur profectò, PARENTES mœstissimi, aut plurimùm de dolore isthoc vestro decessurum arbitramur, si æqualem hanc rerum omnium ad interitum festinantium sortem curatè lustraveritis, simulq; persvaseritis vobis, eadem fati necessitate beatissimæ FILIOLÆ vestræ CATHARINÆ mortem fuisse oppetendam, quâ Universum hoc Naturæ corpus teneri adstringiq; demonstravimus. Nata ea ipsa est Anno 1663 Fer. 3 Pasch. Patre quidem VIR O pl. Reverendo & Excellentissimo, DN. ENOCHO SVANTENIO, S. Th. D. & Archidiacono Jacobæo per tot jam annos clarissimè merente; Amico & Favitore nostro singulari: Matre verò, Feminarum lectissimâ CATHARINA TARNOVIA. Avus illi paternus fuit VIR pl. Rev. & Clariss. DN. ENOCHUS SVANTENIUS, primùm Gymnasi Boersholmensis Holsatiæ Rector, Pastor, ac vicinarum parochiarum præpositus; post Calvinistarum artibus indè expulsus, in illustri Gustoviensi Ecclesiâ parochiali Pastor eximiè merit⁹: Avia paterna MAGDALENA BOCATIA, Matrona pietatis & acerbæ viduitatis, quam per totos 40. jam annos, inusitato ferè exemplo, per DEI gratiam, perfert laude clarissima. Avum maternum habuit Virum pl. Rev. Excellentissimūq; DN. JOANNEM TARNOVIUM, S. Th. D. ac Profess. Academiæ nostræ celebratissimum: Ayam maternam ELISABETAM Knörcken/ pien-

pientissimam Matronam, & insigne sexus sui exemplar. Proavus paternus fuit VIR Spectatissimus Integrimusq; DN. GEORGIUS SVANTENIUS, Not. Publ. & Oppidi Malchin Civis; Proavia Matrona honesta ANNA Bahrenfleths/ Viri Rev & Clarissimi DN. ADAMI Bahrenfleths, Pastoris Ecclesiæ Malchiniensis vigilantissimi F. Proavus maternus Vir pl. Rev. & Excell. DN. M. ANTHONIUS BOCATIUS, Pastor & Superintendens olim Parchimensis dexterim: Proavia Matrona pietate & virtutum decore insigniter clara, BRIGITTA Piperites/ Viri pl. Rev. & Clarissimi DN. HINRICI PIPERITII, Pastoris & primi orthodoxæ religionis in Ecclesiâ Cathedrali Gustrovieni assertoris gravissimi F. Proavus Maternus fuit VIR pl. Rev. & Clarissimus DN. HERMANNUS TARNOVIUS, Pastor Ecclesiæ Grevismölensis. Proavia MARGARETA BREMERS Hamburgo oriunda. His Parentibus Majoribusq; pietate ac virtute præstantissimis CATHARINA nostra prognata, moxq; per divinum sacramq; fontem,, ceu palmes viti solet , CHRISTO suo inserta fuit. Post, biennium saltem supersticare, aut esse inter mortales voluit. Exigua, fatemur, ætas, ac mirè tracta in compendium. Sed nolite mirari, PARENTES, aut sortem eo nomine vestram justo queri impensiūs. Sanè enim inter felicitates humanas non postremam esse, quām primum mori, ipsi quoq; Gentili SILENO monitum observatumq; præclarè fuit. Excessit ea ætate Filia vestra, quā nondum Seculi in pejus cotidiè ruentis vitiis, aut ullâ humanæ conversationis spurcitie imbuetur. Candidamque adeò vestem, quam in sacro lavacro induerat, mundam, uti acceperat, servavit, nulloque deliberato facinore, nullis contra conscientiam delictis contami-

navit. Erepta est (verba Sapientiae recitamus) ne malitia vel intellectum mutaret, vel dolus animum ejusdem deciperet. Sanctificata brevi implevit longa tempora. Grata enim erat Domino anima ipsius; idcirco tollere ex improbitatis medio acceleravit. Nec est profecto quod quemquam propter canos aut rugas diu vixisse putas; non ille diu vixit, sed diu fuit. Omnes metam properamus ad unam: Qui citius attigerit, hunc equidem multò arbitramur feliciorem eo esse, qui longius ab eadem absuerit, quum iter ipse ille sicut diuturnum, ita molestum quoque magis confidere, plures experiri difficultates, maioresque exantare labores habeat. Videmus fabulas agitari sèpè; atque etiam à juventute in scholis id vidimus. Prodeunt ibi Reges, Satrapæ, alia officia: quidam verò etiam Satellites ac Personæ in speciem, & mutæ. Ecce alii diutiùs ex iis harent in scenâ, & loquuntur; alii monstrant se tantum, & nec vocem dant. Simile utique nobis est. Vario munere aut dignitate in theatrum hoc Universi mittimur; alii silentio transimus, aut ostendimus tantum Nos. Nihilo tamen deterior ille, qui in vili veste, qui non diu haesit, quam illa qui Regem aut longum carmen egit: Apud DEUM vita optima non longa est, sed innocentissima. Scitè appositièque vitam humanam sapientissimus Romanorum habere ait librorum instar, quos non ex amplitudine, sed bonitate metiri oporteat. Esse enim TANUSII Annales, vastos illos quidem, moleque suâ propemodum proruentes; sed si precium virtutemq; consideres, nil nisi cacatam chartam (notent quos hoc etiam seculo insanabile illud scribendi cacoëthes adeò divexat, videantq; ne, quæ tanto conamine sinuosa spissaque extrudunt identidem volumina, alii tandem fini serviant, quam abstergendæ isti corporis parti, quam pudor nominare prohibet) esse contra pusillorum sèpè versuum librum, & laudandum quidem utilemque. Parile in vitâ quoque humanâ obtingere. Non metiendum ibi precium valoremque ex spacio aut ampli-

plitudine, sed ex bonitate præstantiaque esse; quæ major sa-  
pe numero in diductâ, quam protractâ ætate esse possit. Ne-  
que feliciorum judicandum eum qui summo die muneris,  
quam illum qui medio occidatur. Sed nec adeò quenquam  
vitæ existimandum cupidum, uti jugulari in spoliario quam  
arenâ malit. Denique ad rem non pertinere, quamdiu vi-  
tes, quod evitare minime possis. Ista in eam sententiam ma-  
ximus SENECA. Tu, PATER (ad te enim jam præcipue di-  
rigatur sermo tandem) si non ex ipsis Gentiliū, saltem ex his  
Christianismi fundamentis Filiolam tuam non immaturam  
obiisse intelliges, quod vixerit quantum debuerit vivere, i-  
mò quantum DEUS, qui supra nos negocium curat, vivere  
voluerit. Ad DEI enim voluntatem nobis Christianis præ-  
cipue, quin unicè respectandum esse, adeò accurate ipse no-  
visti, uti inculcari id tibi abs me minimè oporteat. Ne qui-  
dem unum ex passerculis, qui bini assilio vaneant, sine pa-  
tre nostro cœlesti in terram scis cadere: quomodo igitur ci-  
tra ejusdem beneplacitum & voluntatem procideret egregia  
adeò animula innumeris passerculis præstantior. DEI volun-  
tatem cotidiè adimpleri precaris; nunc in obitu *Filiolæ* im-  
pletam vides. Quid refragatis? quid angeris? Quamdiu de  
eâ tibi non constitit, ut *Infantulam* tuam tecum esse vellet, or-  
rabas. Nunc postquam quid benignissimo & sapientissimo  
PATRI placeret, intellectu; quod ipsum velle compertus es,  
tibi quoque probari, nisi à temetipso dissentire malis, fas ju-  
stumque est. Neque fas fuerit dubitare, quin, quod voluit ille,  
melius sit, quam quod tu, tibi alias permisus, voluisses; ma-  
gisque in re cùm tuam, tūm ipsius puerula cestorum. Quin ve-  
rò id, credere certissimè debes, egisse Dominum, uti *sicutissima*  
illa pessimomundo (quod jam ante innuere quodammodo  
meminimus) malisque imminentibus erepta benè haberet,  
& tranquillitate potiretur; tu vero probareris, & domestico  
quodam exemplo tam fragilitatis præsentis, quam futuræ  
beati-

beatitudinis admonereris. Quum itaq; scias, te suavissimam  
tuam non amisisse, sed veluti arrabonem tui subsecuturi præ-  
missee, quò venire ipse exoptes, & ubi illa beatum jam ævum  
agat, nimis tener aut mollis fores, & te magis, quam ipsam a-  
mare videreris, si conversatione & familiaritate tantisper,  
dùm brevi iterum conveniretis, æquo animo carere non sus-  
tineres. Ceterùm quid prolixè ego tamque operosè, qualem  
præsentis te casu gerere oporteat, moneo? Tu ipse quo sis ani-  
mo quamq; non succambas planè dolori, his inter alia ad me  
verbis, gravibus omnino, teq; dignissimis, perscriptitavisti. Sit  
ita! Habeat Meam Iesu. Hæreat in ipsis ulnis, amplectatur, oscule-  
tur, cedo ipsi, habeat, quod dedit, sit incola eælestis curie, ministret ipsis  
mense! Ego vero ut homo sum, & humani à me nihil alienum puto, ab  
imbre lachrymarum, quod Deus novit, etiam dum hæc scribo, tempe-  
rare mihi non possum, nec prohibere, quo minus acerbè subinde ingemi-  
scam; & quod magis est, in easum hæresi, ut, si non rangerer, lapis es-  
sem aut ferrum, adeòq; & ipse experior, cum morte non temerè esse jo-  
candum: uti meritò prudenterq; Cautelam banc nupero programma-  
ei Magnificentiam vestram adjicere memini. Solantur me interea  
Servatoris verba, solatii vividi diviniq; plenissima, (quæ pientissimo o-  
tim, ni fallor, D. Ebero super salutem Infantū debementer contristato in-  
ciderunt) Est Patris voluntas ne quisquam pusillorum istorum  
pereat, sinite parvulos ad me venire, talium n. est regnum cœ-  
lorum. Acquiescit in his ille, acquiesco ego. Ut DEO placuit ita fa-  
ctum est, sit nomen DOMINI benedictum! Amen.

Vos jam, CIVES ACADEMICI, frequentes tenerrimo  
funeri (quod & ipsum mitigando parentum dolori eximiè fa-  
cturum sit) ire exequias, atque ita supremum humanitatis  
officium CATHARINULÆ præstare, DEOque OPT. MAX.  
utramq; REMP. & literariam & politicam piis precibus com-  
mendare haud pigremini. P. P. sub sigillo Rectoratus, die  
XXIII. Mart. Anno clx CLXV.

Convenietur in Aede D. JACOBO Sacra. Horâ. POM.










[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn776828037/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn776828037/phys_0016)



plitudine, sed ex bonitate præstantia  
 pe numerò in diuina, quām protracta  
 que feliciorē judieandum eum quām  
 quām illum qui medio occidatur. S  
 vitæ existimandum cupidum, uti jug  
 arenā malit. Denique ad rem non  
 tes, quod evitare minime possis. Ista  
 ximus SENECA. Tu, PATER (ad t  
 rigatur sermo tandem) si non ex istis  
 Christianismi fundamentis Filiolam  
 obiisse intelliges, quōd vixerit quant  
 mō quantum DEUS, qui supra nos n  
 voluerit. Ad DEI enim voluntatem  
 cipuē, quin unicē respectandum esse,  
 visti, uti inculcari id tibi abs me minin  
 dem unum ex passerculis, qui bini ast  
 tra nostro cœlesti in terram scis cader  
 tra ejusdem beneplacitum & voluntate  
 adeo animula innumeris passerculis p  
 tatem cotidiē adimpleri precaris; n  
 pletam vides. Quid refragatis? quid  
 cā tibi non constitit, ut *Infantulam* tua  
 rabas. Nunc postquam quid benign  
 PATRI placeret, intellectu; quod ipsi  
 tibi quoque probari, nisi à temetipso  
 stumque est. Neque fas fuerit dubitare  
 melius sit, quām quod tu, tibi aliās pe  
 gisque in rē cūm tuam, tūm ipsius puer  
 rō id, credere certissimē debes, egisse  
 illa pessimo mundo (quod jam ante i  
 meminimus) malisque imminentibus  
 & tranquillitate potiretur; tu vero pr  
 quodam exemplo tām fragilitatis, pr



æ major sæ  
 possit. Ne  
 ie muneris,  
 o quenquam  
 liario quām  
 quamdiu vi  
 tentiam ma  
 præcipuè di  
 altem ex his  
 immaturam  
 it vivere, i  
 urat, vivere  
 istianis præ  
 atē ipse no  
 t. Ne qui  
 nt, sine pa  
 llo igitur ci  
 ret egregia  
 DEI volun  
 tu Filiole im  
 Quamdiu de  
 se vellet, o  
 pientissimo  
 impertus es,  
 alis, fas ju  
 voluit ille,  
 luisses; ma  
 n. Quin ve  
 iti scitissima  
 odammodo  
 è haberet,  
 domestico  
 am futuræ  
 beatæ